



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1624. usque ad annum 1627

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1778

VD18 90118863

§. 70. Trecorensis Episcopi contentio adversus suos Canonicos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67369)

dores ad amissum perlectis, & examinatis, Sæc. XVII.
 omnium Magistrorum consensu, censuit, A. C. 1625.
 tam explicationes illas ut sonant, quam
 Corollaria prout jacent, tum Librum ipsum
 esse dammandum, maxime quod impietati-
 bus, erroribus, hæresibus scatens, & con-
 tinua locorum Sacræ Scripturæ profana-
 tione Sacrilega contextus, augustioribus
 etiam Catholicæ Religionis mysteriis abu-
 tens, demum Lectores ad secretas, scelera-
 tasque artes sollicitet. Quare pestiferum
 opus nec sine fidei periculo, aut Religionis
 detrimento, vel pietatis damno passim legi,
 neque tuto in publicum divulgari posse
 judicavit.

§. LXX.

*Trecoriensis Episcopi contentio ad-
 versus suos Canonicos.*

Anno priori Guido Trecoriensis Epi-^{Argentre}
 scopus in Britannia minoris Pro-^{l. c.}
 vincia quædam ediderat Statuta Syno-
 dalia, in quibus nonnullos casus suæ
 reservabat jurisdictioni, reclamante suo
 Capitulo: cum autem Episcopus rem
 suo arbitrio decidere nollet, die vige-
 sima quarta Januarii datis ad Gama-
 chium Professore Regium literis de-
 super iudicium Facultatis Theologicæ
 postulabat, exponens, quod i. publi-
 cam Blasphemiam juxta Turonensem
 O 3 Sy-

Sæc. XVII. Synodum sibi reseruarit, ejus vero Canonici propugnent, quod ejusmodi Blasphemia, etsi valde atrox & frequens esset, duntaxat *in foro externo* reseruari valeat. II. Violationem voti solemnibus castitatis & continentiae Sacris Ordinibus annexæ, Canonici autem opponant, dubium esse, an ejusmodi votum dici valeat solemne. III. Sacrilegium ex furto rei Sacræ tam in profano, quam Sacro loco: Capitulum vero respondeat, furtum rei profanæ in loco Sacro, vel Sacræ in loco profano saltem juxta leges civiles non esse sacrilegium. IV. Fraudem, qua aliqui usum tituli ad Ordinem Presbyteratus initiatis impediunt, ac *ipso facto* eorum Ordinem suspectum reddunt: pro hac doctrina Canonem vel Authorem quemdam fore citandum, affirmant Canonici. V. Præterea statuit Episcopus, quod nullus Rector vel Capitulum Episcopalia munia, v. g. generales absolutiones publice in feriis secundis, quartis & sextis in quadragesima dare, & exercere valeat: Capitulum vero id posse asseruerit, eoquod in Ecclesia duplex esset absolutio, Sacramentalis & Cæremonialis. Igitur circa hæc propositiones Episcopus Sorbonæ Doctorum judicium & censuram postulabat, ut veram Doctrinam contra Capituli

pituli sui sententias propugnare posset. Sæc. XVII.
 Cum vero hæc lis inter Episcopum ejus- A. C. 1625.
 que Capitulum mota ad Ecclesiasticum
 forum pertineret, Facultas haud re-
 spondendum censuit.

§. LXXI.

*Controversia inter Leonensem Epi-
 scopum, & Stephanum Luytreum
 Parisiensem Doctorem.*

Sub idem ferme tempus convocaban- *Argentre*
 tur Lutetiam Parisiorum quovis de- *p. 165.*
 cennio consueta Cleri Gallicani comi- *Bullar. Car-*
 tia, quibus Richelius, Rupifocaldius, *mel. tom. 3.*
 & Valeta Cardinales, necnon octo *p. 489.*
 Archiepiscopi, triginta Episcopi, &
 inferioris Ordinis centum Prælati in-
 tererant. Plura in his comitiis agita-
 bantur pro restauranda Ecclesiæ disci-
 plina, præcipue vero prælegebatur e-
 pistola Leonensis Episcopi contra Ste-
 phanum Luytreum Nannetensis Eccle-
 siæ Decanum: Ingens enim inter am-
 bos fervebat contentio, cujus origi-
 nem ab alto repetere oportet. Anno
 Christi millesimo sexcentesimo vigesi-
 mo secundo Mense Junio reformati
 Carmeli Moniales in Leonensi Diæcesi
 Monasterium erexerant, accedente E-
 piscopi consensu, & approbatione Gre-
 gorii XV. summi Pontificis, qui edito
 O 4 diplo-